



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**De Sacra-||mento Evcharistiae,|| contra Oecolampadium,
opusculum:||**

Clicthove, Josse

Coloniae, 1527

VD16 C 4208

Non esse admitte[n]dam locutione[m] tropicam: in his d[omi]ni uerbis; hoc
est corpus meu[m], sed propriam: & secundu[m] rer[um] proprietatem,
accipiendam. IIII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-30220

humiliter profiteri, q̄ non sunt digni soluere cor-
 giam calciamentorū eius. Q̄ siquī minus a quo re-
 uerentes, ipsam eucharistiam pro dignitate nō de-
 tulerint aut reposuerint, aut etiam honorauerint:
 nunquid idcirco desinet in ea esse miraculum, aut
 Christus uere secundum corporis præsentiā illic
 non subsistet? Certe ipsa miraculi ueritas, & substi-
 stentiā sacri corporis dñi in eucharistia: nequaquā
 pendet ex reuerētia & ueneratione aut etiam fide
 hominum, circa tanti sacramēti mysterium. Nam
 si quis incredulus illi fuerit, aut cōtemp̄tor aut ne-
 gligens illius cultor: haud minus idcirco & mira-
 culū illic erit, & uere præsens Christi corpus, pro-
 pter irrefragabilem uerborū domini ueritatem: ex
 uario hominū affectu nequaquā mutabilem. Et nō
 quia creditur ibi esse miraculum, aut Christus ad-
 esse: illic miraculum ponitur, aut corporis Christi
 præsentiā. Si. n. hoc admitteretur: cōsequens esset,
 si non crederetur ita se res habere: & eā etiam non
 se sic habere, quod falsum est. Sed quoniam ibi mi-
 raculum est, & uere Christus adest: credere debe-
 mus, & esse illic miraculum, & Christum uere ibi
 bidem adesse.

¶ Non esse admittendam locutionem tropi-
 cam: in his domini uerbis. Hoc est corpus
 meum, sed propriam: & secūdū reꝝ pro-
 prietatem, accipiendam.

Ca. III

Quinta aduersarij obiectio. Multa Chri-
 stus in parabolis & anigmatis est lo-
 cutus: quæ non nisi per tropum acci-
 pi possunt. Vt cū de se dixit: ego sum
 ostium ouium: ego sum uitis ue-
 ra, & conuitalia. Quinimo & opa eius ferme oia:
 M

»
 »
 »
 » Ioan. 10
 » Io. 15.
 »

DE SACRAMENTO

Mat. 21 „ latens quiddam designarunt, ut cum ficui maledi
 Ioan. 2 „ xit, aquam in uinum uertit: & pedes discipulorū
 Ioan. 13 „ abluuit. in quibus omnibus: sublimiora erant com
 „ mēdata mysteria. Proinde hæc domini uerba, hoc
 „ est corpus meum, exosculamur, ait, & ut uera am
 „ plectimur: sed illis subesse tropū idiomatis cense
 „ mus. quāquidem per panem ut sacrosanctum sym
 „ bolum, figuram corporis cōmendauit: cuius fraz
 „ ctione & in mortem traditione alamur & uiuifi
 „ cemur. Vt hic habeatur prædictorū domini uerbo
 „ rū sensus, hoc est figura corporis mei. uel hoc (de
 „ monstrato pane materiali) significat & repræsen
 „ tat corpus meum. Hæc Oecolampad. ¶ Responſio.
 2 „ Fateor equidem Christum plæraq; figurate locu
 „ tum esse, sed nō omnia: imo etiam multa illius uer
 „ ba, ad literam & proprie sunt accipienda. Vt cum
 „ se testatus est esse Christum & dei filium: & cum
 „ Iudæis dixit: ego & pater unū sumus. & plæraq;
 „ talia. Quocirca in ualida est hæc Oecolampadij rōci
 „ natio, quam hic texit: & ex dialecticæ ignorantia
 „ procedens. Chr̄s plæraq; locutus est in parabolis. er
 „ go & hæc uerba: hoc est corpus meum, figurate,
 „ & per quandam translationē protulit: Progreditur
 „ .n. ea consecutio, a superiore cōioreq; particulari
 „ ter sumpto: ad inferius atq; contractius quam col
 „ lectionem omnino mancam esse, norunt omnes: q
 „ logicam disciplinam uel a limine salutarint. pinde
 „ atq; hunc in modū ne ceteretur argumentatio per
 „ multa animalia sunt ratiois expertia: igitur & hæc
 „ animalia (demonstratis Ioanne & Petro) sunt ra
 „ tionis immunia. In qua, quod assumitur, uerū est:
 „ & quod infertur, falsum: ob ineptam & infirmam
 „ colligendi eius formam. Sic etiā non diffiteor opa
 „ Christi quæ i terris gessit: aliorū fuisse mysteriorū

Matth. 16
 Ioan. 10

EVCHARISTIAE II. 90

significatiua. nihilo secius illa etiam secundum rei
ueritatem & iuxta literæ descriptionē planam fa-
cta sunt: & non secundū tropum Vt uere Christus
ipse ficui maledixit, uere etiam cōuertit aquæ sub-
stantiam in uini naturam: & nō apparenter, more
præstigatorū. Deniq; etiam idē: uere abluuit pedes
discipulorū suorū. licet hæc tria eius opera: occultū
aliquod mysterium etiam significarint. Non enim
abstrusorū designatio mysteriorū: tollere potest ab
operibus Christi quæ hic gessit, ipsius historiæ re-
rumq; gestarū ueritatē. Quare penitus abnuimus,
illa domini uerba. hoc est corpus meum. esse secun-
dum tropum accipienda: & corpus. ibi pro figura
aut significatiōe corporis sumi. cum supra satis sit
monstratum: in illis dñi uerbis, corpus accipi pro
substantia ipsa dominici corporis: proprie. s. & ci-
tra omnem tropum. ¶ Vnde Augustinus in libri
tertij de doctrina Christiana, cap. 10. hanc definit re-
gulam: magnopere necessariam ad rectam sacræ
literarum intelligentiam, summocq; studio tenen-
dam. Huic autem, inquit, obseruationi, qua caue-
mus: figuratam locutionē, id est, translata, quasi
propriam sequi: adiungenda & illa est, ne propriā
quasi figuratam uelimus accipere. Demonstrandus
est igitur prius modus inueniendæ locutionis: pro-
priane an figurata sit. Et iste omnino modus est, ut
quicquid in sermone diuino neq; ad morum hone-
statem, neq; ad fidei ueritatem proprie referri po-
test: figuratum esse cognoscas. Morum honestas,
ad diligendum deum & proximum: fidei ueritas,
ad cognoscendum Deum & proximum pertinet.
hæc ibi. Ex quo plane modo: secundum contrarij
sensus rationē, & hic ex opposito sumitur modus.
Vt si quid in sermone diuino, ad morum hone-

Chri opa,
in euange-
scripta, se-
cūdum rei
ueritatem
esse facta

3
August.

Vera regu-
la, ex Au-
gust. ybis
sumpta.

M 2

DE SACRAMENTO

statem uel ad fidei ueritatem, proprie referrī pōt; non figuratum sed propriū esse cognoscatur. Hæc aut̄ propositio ore diuino prolata, hoc est corpus meum, ad fidei ueritatē accōmode refertur: q̄ ad deum & opus eius admirabile, cognoscendū, probe p̄tineat. Propria igitur censerī debet: in illa propositione esse locutio. quare per prædictam Augustini regulam: non est ad figuratam locutionē trāsferecda, neq; ullus in ea dari pōt tropus. ¶ Rursum ad internoscenda Christi uerba proprie dicta a figuratis, obseruetur accurate & hæc Augustini regula: quam in tertij de doctrina Christiana ca. 15. sic exprimit. Seruabitur, inquit, in locutionibus figuratis regula huiusmodi: ut tam diu uerseur diligenti consideratione quod legitur, donec ad regnū charitatis perducatur. Si autē hoc iam proprie sonat: nulla putetur figurata locutio. Hæc ibi. At uero uerba illa Christi, hoc est corpus meum: & hic est sanguis meus, post diligentem cogitationē animo uersatam dinoscūtur proprie sonare, & iuxta proprium sensum accepta: esse consona alijs domini uerbis, alio quidem loco & tēpore dictis. s. his.

4 **Augustin.** Panis quem ego dabo: caro mea est pro mundi uita. Et rursum his: Caro mea uere est cibus: & sanguis meus uere est potus, & cæteris consimilibus in sexto euangelij secundum Ioannem cap. de hoc mysterio propositis. Igitur iuxta prædictam Augustini regulam non est putanda in illis Dñi uerbis (de quibus agitur controuersia) figurata locutio. ¶ Demum audiendus est hic & Hieronymus præclare demonstrans non esse negandam historie ueritatem in uerbis & factis Christi, ad astruendā tropologiam, sed rei gestæ ueritati, tanquā basi & fundamento; superædificandum esse tropicum sen-

5 **Ioan. 6**

scdm. Siquidem in 3. lib. commentarioꝝ sup Amos prophetam: exponens hoc uerbum propheticum, qui ædificat in cœlo ascensionem suam, ait: Porro iuxta septuaginta, repromissionem suam fundauit super terram. ut omnes illius repromissiones, quas sancti prophetae suo cecinerunt ore: non inanẽ sonum habeant, & cassa solius tropologiæ nomina, sed fundentur in terra. & cum historiae habuerint fundamenta: tunc spiritualis intelligentiæ culmen accipiãt. Vt uere Christus de uirgine natus sit, uere Lazarum mortuum suscitauerit: uere ad tactũ eius, hemorroissa sanata sit. uere in aduentu domini: cæci uiderint, claudi cucurrerint: contractæ manus extensæ sint, lepra mundata sit. Licet secundũ tropologiã: quotidie de anima uirginali nascatur sermo diuinus. quotidie peccato mortui & uitiorum funibus alligati: de sepulchro scelerum suorum iubeantur exire. quotidie: sanguinis operam constringantur. cæci in infidelitate: Christi lumen conspiciant. claudicantes prius fide: currant in uiam domini. & aridæ manus auaritia: extendantur ad eleemosynam. & lepra Mariæ. quæ cõtaminat quicquid attigerit: recipiat pristinam puritatem. Hæc ille. Sic & in in uerbis domini propositis, iuxta sensum literalem & proprium: accipere debemus corpus pro corporali Christi substantia, ueracq; corporis ipsius essentia. si solido ueritatis fundamento uelimus inniti: & super terræ firmitatem, nostram expositionem fundare. Deinde tropologiã illi superextruentes fundamento: uere & id pronunciare possumus, q̄ uerè illud Christi corpus sit figura corporis ipsius mystici. s. ecclesiæ: quod ex singulis fidelibus tanq; membris spiritualibus coalescit. Et ita facientes, syncarã uerborũ dñi serua-

Amos. 9.
Hierony.

Luc. 2.
Ioan. 11.
Matth. 9.
Matth. 11.
Mat. 8.

Num. 12

DE SACRAMENTO

Apt9 mo
6
dus discer
nēdi tropi
cā locutio
nem a pro
pria.
Ioan. 15.

Mat. 26

bimus ueritatem: & apto deinde tropo atq; figurā, suum relinquemus locum. ¶ Insuper ad discernendam locutionem propriam a figurata, potissimum confert antecedentia illam & consequentia dicta attendere: ex quibus sumatur iudiciū, in quo sensu media illa propositio sit accipienda. Vt cum proposuisset de seipso Christus. ego sum uitis uera, protinus subiunxit de discipulis suis, & uos palmites. At manifestum est: discipulos ipsos non esse naturales palmites, sed mysticos. Ex quo cognoscere prōptum est: & Christum. se non dixisse ueram uitem, iuxta naturalem rei proprietatē: sed secundum mysticum sensum, & quendum illic esse tropum. Haud aliter, cū dñs noster dixisset suis apostolis, hoc est corpus meum. euestigio subiunxit: quod pro uobis tradetur. qui quidē subsequens sermo, non nisi de proprio & naturali corpore, potest sane accipi: quare nec præcedens. Et cum iisdem dixisset. hic est sanguis meus: siue calix sanguis mei (quod: in idem recidit statim subdidit. qui pro uobis effundetur, quod posterius: nō nisi de uero sanguine secundum substantiam, potest accipi quare nec prius domini uerbum, de alio quā uero sanguine debet intelligi. Adiectæ igitur prædictæ particula, quod pro uobis tradetur: & qui pro uobis effundetur, quoniam panis & uino materiali, figuranti (ut ferunt aduersarij) corpus & sanguinē dñicum, ne quaquā conuenire possunt: liquido produnt, quia illa domini uerba, hoc est corpus meum, & hic est sanguis meus, minime secundum tropum accipi potest sed proprie sumi debent. ¶ Quocirca contendentes illa dñi uerba consecratoria, iuxta tropicam locutionem accipienda esse: haud minus reprehensionem sunt obnoxij, quā ij qui paradysum terrestrem

EVCHARISTIAE. II. 92

modo spiritualiter accipi debere uoluerunt. Contra quos agens Augustinus: in principio octavi libri de expositione Geneseos ad literam, ait: Non ignoro, de paradiso multos multa dixisse: tres tamen de hac re, quasi generales sunt sententiae. Una eorum: qui tantummodo corporaliter paradysum intelligi uolunt. Alia eorum: qui spiritualiter tantum. Tertia eorum, qui utroque modo paradysum accipiunt: alia corporaliter, alias autem spiritualiter. Breviter ergo ut dicam: tertiam mihi fateor placere sententiam. Secundum hanc, nunc suscepi loqui de paradiso: quod dominus donare dignabitur, ut homo factus ex limo, quod utique corpus humanum est: in paradiso corporali collocatus intelligatur. Ut quemadmodum ipse Adam, etsi aliquid aliud significat, secundum id quod eum formam futuri dixit esse apostolus homo tamen in natura propria expressus accipitur, qui uixit certo numero annorum, & propagata numero sua prole: mortuus est, sicut moriuntur caeteri homines, etsi non sicut caeteri ex parentibus natus: primitus (ut oportebat) ex terra factus est. Ita & paradysus in quo eum collocavit deus: nihil aliud quam locus quidam intelligitur, terra scilicet ubi habitaret homo terrenus. Narratio quippe in his libris, non genus locutionis figuratae rerum est: sicut in cantico canticorum, sed omnino gestae est, sicut in regnorum libris & huiusmodi caeteris. Haec Augustinus. Vnde sicut illi quos ita confutat hic celeberrimus autor: quoniam in canticis canticorum figurate dictum legerant: hortus conclusus, soror mea sponsa: hortus conclusus, fons signatus. perperam putarunt etiam quod in Genesi etiam de paradiso legitur: omnino figurate & mystice intelligendum esse. Haud secus & Oecolampadius quoniam cognoscit

August.

Trium sententiarum de paradiso: quae non est amplectenda.

Rom. 5.

Gene. 2.

Cant. 4.

M 4

DE SACRAMENTO

Ioan. 10.
Ioan. 15.
1. Cor. 10

uit Christum dixisse de seipso per tropū: ego sum ostium ouium: & ego sum uitis uera. & Paulum quoq; de Christo dixisse tropice, petra autem erat Christus: nō recte colligit & prædicta Christi uerba de suo corpore & sanguine, iuxta tropicam locutionem esse sumenda. cum omnino altere sit elocutio. is genus in his uerbis: & in illis. Neque consequens est, si aliqua Christi uerba per tropū sunt dicta: protinus reliqua sunt omnia eiusdem uerba, etiam eo modo accipi debere.

¶ Post consecrationem, corpus Christi etiā recte Panem vocari: sicut & ipse Christus se ipsum hoc nomine scilicet panis, in euangelio sæpius insigniuit. Cap. V.

Act. 2.
Mat. 3.
Ioā. 20

¶ **S**exta aduersarij obiectio. Id frequēs est in scripturis: q; figuræ rerū, uocabulis rerū: quas significant: denotentur. Vt p linguas igneas, q; super discipulos apparuerūt, uel per columbam q; dñm manifestauit uere unctum, uel per anhelitum Christi: spiritum sanctum intelligimus. & ea: spiritum sanctum nuncupamus: quæ tamen constat nō ipsum spiritum sanctum fuisse, sed ipsius tantum indicia. cum nō sit spiritus sancti natura: corporalis, conuertibilis aut mutabilis. Quid mirum igitur si modo consimili panis ipse materialis, qui a sacerdote ut sit domini corporis figura, consecratur: etiam corpus domini dicatur in illis uerbis **CHRISTI**, hoc est corpus meum? In cuius rei efficacius argumentum: in ipso canone missæ etiam post peractam consecrationem, panis nominatur: cum orantes dicunt sacerdotes. Offerimus præclaræ maiestati tuæ de tuis donis ac datis; hostiā puram, hostiam